

COROLLARIUM

De Proprietatibus, potentiis, & actibus notionalibus.

Ex In 1. d. 26. q. 2. a. 3. o. dictis colliges, licet notiones sint eadem formalitas cum relationibus, & proprietatibus sub diverso respectu, ut observavimus initio articuli...

Unde habes, quod, licet sint quinque notiones assignatae, sunt tamen tantum quatuor proprietates simpliciter, nempe innascibilitas, Paternitas, Filiatio, & Processio...

Processio; & quatuor relationes, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva.

Petes, quod sunt actus notionalis? R. Esse duos, scilicet generationem, & spirationem activam; quibus respondet duplex potentia notionalis, generativa scilicet, & spirativa...

Petes insuper, quot sunt nomina notionalia? R. Esse tria cuilibet personae propria: Primae, Pater Ingenitus, seu Innascibilis, & Principium. Secundae, Filius, Imago, Verbum. Tertiae, Spiritus, Donum, & Amor...

DISSERTATIO V.

DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICULARI

D. Thom. a Quäst. 33 ad 38.

ARTICULUS I.

De Persona Patris.

Quæritur 1. Utrum Patri competat esse principium? Ante responsonem nota, nomen principii in divinis dupliciter sumi, vel essentialiter respectu ad creaturas, vel notionaliter, prout tribuitur uni personae respectu ad aliam...

Dices: Idem sunt esse principium, & causam; atqui non dicimus, Patrem esse causam Filii: ergo.

R. Quod In 1. d. 1. q. 10. de pot. art. 1. ad 8. & opusc. 1. cap. 1. Greci utatur in divinis indifferenti nomine cause & principii: Latini vero raro utuntur nomine cause, sed communiter nomine principii propter varias rationes...

Cæterum, (Ibid.) quando Greci utuntur in divinis nomine cause, non sumunt causam, sicut nos, strictè prout efficit, & habet aliquam diversitatem essentiali ab effectu, sed prout significat id, a quo aliquid est, quovis modo sit...

græca propter proprietatem idiomatis potest convenienter dici.

Inst. Si Pater est principium Filii, sequitur Filium esse principium, quod non nisi creaturis videtur competere. (Hic cit. ad 2. & q. de pot. cit. ad g.) R. Quamvis Græci hoc etiam modo loquendi utantur, & possit apud sanè intelligentes concedi, id tamen non est in usu Doctorum Latinorum...

Repones: Nomen principii a prioritate sumitur; sed in divinis non est prius & posterius: ergo.

R. Quod (Hic cit. ad 3. & de pot. cit. ad 10.) licet hoc nomen Principium, quantum ad id a quo imponitur, videatur a prioritate sumptum, non tamen imponitur ad significandam prioritatem, sed originem; unde licet Pater non sit prior Filio, est tamen eius principium.

Quæritur 2. Utriusque nomen Pater sit proprium primae personae divinae? (Hic art. 2. o.) R. affirmative. Pater 1. ex illo Ps. 88. Ipse invocabit me, Pater meus et tu. Pater 2. ratione: quia nomen proprium cujuslibet personae significat id, per quod illa persona ab aliis distinguitur...

Dices: generator, seu generans est nomen communius quam Pater, nam omnis Pater est generans, non e converso; atqui nomen communius magis proprie dicitur in divinis, quia minus determinat, & restringit immensum divinitatis pelagus, ut docet S. Th. supra q. 13. art. 11. ergo. (Ibid. ad 2.) R. D. Mir. Nomen communius magis proprie dicitur in divinis, cæteris paribus, C. cæteris imparibus, N. hic autem cætera non sunt paria; quia generator seu generans significat personam, prout concipitur in fieri, & ut via ad habendum filium: Pater autem significat personam secundum complementum generationis, & ut jam habentem filium; denominatio autem rei debet fieri ab eo, quod est in ea perfectius. (Infr. q. 40. art. 2. o.) Adde, quod generator seu generans significat proprietatem tantum, & non hypostasim; Pater autem significat proprietatem & hypostasim, quia significat relationem, qua constituitur hypostasim. Et hinc docet Auctor 3. p. q. 66. art. 5. ad 7. Baptismum collatum in nomine genitoris & geniti, esse invalidum.

Quæritur 3. Utrum esse ingenitum sit proprium Patri. (Hic a. 4. o. & ad 2.) R. affirmative: quia nomine Ingeniti hic non intelligimus, quod non est ab alio per generationem; sic enim conveniret etiam Spiritui S. Sed intelligimus, quod omnino non est ab alio, sive per generationem, sive alio quocumque modo, seu quod est omnino improducibile; sic autem ingenitum est proprium Patri, quippe est principium sine principio, Filius principium cum principio, Spiritus S. principium ab utroque.

Quidam hic magna contentione disputant, an ingenitum constituatur in ratione notionalis per aliquid positivum, vel per

aliquid negativum? Cui Quæstioni breviter & simpliciter R. cum Auctore (Ibid. ad 1.) quod secundum Aug. 5. de Trinit. cap. 7. Ingenitum negationem generationis, seu productionis passive importat; nec propter hoc sequitur, quod ingenitum non debeat poni notia Patri; quia prima & simpliciter per negationes notificatur: sicut dicimus punctum esse, cujus non est pars. Confer art. præc. in Resp. ad 1. Obj.

ARTICULUS II.

De Persona Fili. D. Thom. Q. 34. & 35.

Inter (Hic q. 34. in præm.) varia nomina, quibus insignitur secunda Trinitatis persona, tria sunt præcipua, scilicet Filius, Verbi, & Imaginis. Quamvis hæc tria sint omnino unum & idem absque virtuali distinctione, distinguuntur tamen per modum significandi, & ordinem ad diversa connotata extrinseca. Filius dicitur respectu ad patrem. Verbum respectu ad intellectum, cui manifestat res cognitæ. Imago respectu ad principium, quod imitatur. Ratio Filii ex ratione Patris consideratur, & intelligitur. Unde restat considerandum de Verbo & Imagine.

Quæritur 1. utrum Verbum in divinis sit nomen personale, an essentialē?

Ant. (Ibid. o.) responsonem nota, verbum in nobis tribus modis proprie sumi; quarto modo improprie & metaphoricè. 1. Sumitur proprie pro conceptu mentis, quo mens interioris secum loquitur, seu pro termino intellectuonis res intellectas re-presentante & significante. 2. Pro voce oris, qua quis exterius manifestat, quod interioris concipit. 3. Pro imaginatione, qua quis imaginatur vocem significativam, est exterius non exprimat. 4. Modo sumitur improprie & metaphoricè pro eo, quod verbo exteriori significatur, seu efficitur; sicut consuevimus dicere, hoc est verbum quod dixit, vel quod mandavit Rex, demonstrato aliquo facto, quod verbo significatum est, vel simpliciter enuntians, vel etiam imperans. In Deo autem proprie sumitur verbum primo sensu tantum, pro conceptu mentis, seu termino intellectuonis divine, res intellectas significante & representante; cætera autem verba in eo metaphoricè tantum sumunt, utpotè quodam modo corporea & externa. His notatis,

R. Verbum (Ibid.) proprie dicitur in divinis est nomen personale, & nullo modo essentialē; quia Verbum proprie dicitur in divinis significat aliquid ab alio procedens: est enim conceptus mentis, de ratione autem conceptis est, quod procedat a concipiente; atqui, quod significat aliquid ab alio procedens, est personale & non essentialē, eo quod Personæ divinæ distinguuntur pro origine: ergo.

Dices 1. Amor dicitur essentialiter in divinis: ergo & Verbum. Prob. Conseq. sicut Verbum dicit emanationem ab intellectu, amor dicit emanationem a voluntate: ergo. (Infr. q. 37. art. 1. o.) R. N. Conseq. Ad Prob. Disparitas est, quod amor sit nomen commune ad significandum tam actionem procedentem a voluntate, quam ejus terminum propter vocabulorum inopiam; Verbum autem tantum significat terminum per intellectuonem productum, non ipsam intellectuonem. Unde fit, quod amor sumatur essentialiter & personaliter; Verbum autem personaliter tantum.

Inst. Juxta Aug. 9. de Trinit. cap. 10. Verbum est notitia, juxta Anselm. in Monil. cap. 31. 32. 34. est cogitatio & intuitus; atqui cogitatio, intuitus, & notitia sunt actus intellectus, & dicitur essentialiter: ergo. (Hic q. 24. art. 1. ad 2.) R. Aug. & Anselm. non sumere cogitationem, intuitum, & notitiam pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo ejus habitu, sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo, unde Aug. 7. de Trinit. cap. 2. dicit, quod Verbum est sapientia genita.

Dices 2. De ratione Verbi est, quod dicitur; atqui secundum Anselm. in Monolog. cap. 58. Sicut Pater est intelligens, et Filius est intelligens, et Spiritus S. est intelligens; Ita Pater est dicens, Filius est dicens, et Spiritus S. est dicens, et similiter quilibet eorum dicitur: ergo nomen Verbi dicitur essentialiter in divinis de tota Trinitate, & non personaliter de una tantum.

R. Quod (Ib. ad 3. et q. g. de pot. art. 9. ad 8.) dicere sumi possit dupliciter: Uno modo proprie, secundum quod dicere idem est quod intelligendo verbum formate, seu concipere: alio modo improprie, prout nihil est aliud, quam simpliciter intelligere, & hoc sensu sumit Anselm. Sic autem sumptum dicit solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua habitudine nulla ratio originis importatur; quando enim intelligo lapidem, lapis non procedit a meo intellectu, nec meus intellectus a lapide; & idem intelligere simpliciter non dicitur notionaliter in divinis, sed essentialiter. At dicere proprie importat principaliter habitudinem ad verbum dictum, & a dicente productum, unde importat ordinem originis, idè quod dicitur notionaliter, non essentialiter. (Hic cit. ad 3. et q. 4. de verit. art. 2. Theol. Billuart. Pars Prima.)

ad 3.) Ex quo sequitur, quod sit tantum unus dicens proprie, nempe Pater: nec tamen pariter sequitur, quod sit tantum unum dictum, nempe Filius: sicut enim quando nos dicimus, duo dicimus, primo verbum, deinde res intellectas, & significatas per verbum; ita Pater se & alia intelligendo primo dicit verbum, deinde res intellectas & significatas per verbum: unde, quamvis solus Filius dicatur ut verbum; tota tamen Trinitas, & alia, que Pater intelligit, dicantur ut verbo intellecta & significata. Hinc distingui potest Major propositio argumenti: de ratione verbi est, quod dicitur primario & ut verbum, C. secundario & ut res verbo intellecta, N.

Quæritur 2. Utrum Verbum sit nomen proprium Filii? (Hic q. 34. art. 2. o.) R. affirmative; quia Verbum proprie dicitur in divinis significat quendam emanationem intellectus; atqui persona, que procedit in divinis per emanationem intellectus, dicitur Filius; & hujusmodi processio dicitur generatio, ut supra ostensum est: ergo.

Quæritur 3. Utrum Imago in divinis dicatur personaliter? Antè responsonem nota? Imago est similitudo ad representandum expressa ex eo, cujus est imago: unde ad veram & proprie dictam imaginem duæ conditiones sequuntur. Prima, ut sit similis, non solum in genere vel in aliquo analogo, aut accidentibus communibus, sed in specie vel in signo speciei: unde vermiculi erupentes ex homine non sunt imagines hominis, neque paries dealbatus est imago hominis albi; quia non sunt similes homini in specie, vel in signo speciei, sed in genere, vel in accidente communi. Secunda conditio est, quod hæc similitudo originem trahat, seu sit expressa ex eo cujus est imago, idque vi & modo processionis; cujus defectu ovum, quantumvis sit simile alteri ovo, non tamen est imago illius. Si petas, quomodo tabella representans Cæsarem sit imago Cæsaris, cum a Cæsare non sit expressa, nec originem ducat: R. quod sit a Cæsare, ut est in idea pictoris, seu est a pictore, quatenus est Cæsar idealis. Imago potest tripliciter distingui: una artificialis, que importat similitudinem, non in natura specifica, sed tantum in signo speciei, ut statua, vel tabella; & hæc est imperfecta imago. Secunda intentionalis ut species expressa, que importat similitudinem, non tantum in signo nature specificæ, sed in ipsa natura specificâ, non tamen sub modo essendi naturali, sed intelligibili; & hæc est perfectior prima. Tertia naturalis, que importat similitudinem in natura & modo essendi naturali, ut Filius respectu Patris; & hæc est imago perfecta. Erit autem perfectissima, si sit eadem numero natura in Patre & in Filio, ut contingit in divinis. Ex his ad questionem (Q. 35. art. 1. o.) R. nomen imaginis in divinis est nomen personæ; quia ad hoc, quod aliquid sit verè imago, requiritur, quod ex alio procedat ei simile in specie vel in signo speciei; atqui, quod importat processionem, vel originem in divinis, est personale: ergo.

Quæritur 4. Utrum nomen imaginis sit proprium Filio? (Ibid. art. 2. o.) affirmative cum Patribus Latinis contra Patres Græcos. (Ibid.) Prob. 1. Quia nomen imaginis non reperitur in Scriptura dictum, nisi de Filio: ad Coloss. 1. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus creaturæ: Et ad Heb. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus. 2. Quia, licet Spiritus S. sit similis Patri, & Filio in natura, hæc tamen similitudinem non habet formaliter vi suæ processionis, sed identicè tantum, quia est amor divinus; Filius autem, quia procedit ut verbum, habet formaliter vi suæ processionis, quod sit similis Patri. Confer Diss. 2. art. 5. ubi hæc rationem fuse expendimus.

Dices 1. cum Patribus Græcis. Ad Rom. 8. dicitur: Prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Quid est autem imago Filii, nisi Spiritus S. Et I. ad Cor. 15. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem celestis. Per imaginem celestis intelliguntur pariter Spiritus S. R. ad 1. locutionem esse intransitivam, ita ut intelligatur de imagine, non que sit alia a Filio, sed que sit ipsemet Filius; & sensus sit: conformes imaginis suæ, que est Filius suus. Ad 2. sensus est: Sicut portavimus imaginem terreni Adami in peccatis, portemus imaginem celestis Adami in virtutibus. (Opuscul. 1. cap. 10.) vel pro reverentia Patrum Græcorum dic, Spiritum esse imaginem Patris & Filii, intelligendo imaginem lato sensu pro similitudine in natura, quamvis hæc similitudinem vi suæ originis formaliter non habeat.

Dices 2. cum Durando: Filius non est similis Patri ratione essentiali, quia sic est identitas; neque ratione relationis, quia sic opponuntur. Item, si Filius esset imago Patris, idè quia illum representat; atqui etiam creaturas representat: ergo. R. ad 1. Filium esse similem Patri ratione essentiali, & relationis similis; quia de ratione similium est, quod in aliquo conveniant, & in aliquo differant: nam, si in omnibus convenirent, esse identitas, & non similitudo; & si in omnibus differant, esse diversitas: Pater autem, & Filius conveniunt in na-



tura, & relatione differunt. Unde non est instituenda comparatio inter essentiam & essentiam, & inter relationem & relationem, sed inter personam & personam. Ad 2. R. ad rationem imaginis non sufficere quod representent, sed etiam quod exprimat & procedat ab eo, cuius est imago; Filius autem non procedit a creaturis, sed a Patre.

ARTICULUS III

Ex quarum rerum cognitione Verbum per se procedat a Patre?

Pater cognoscit essentiam, attributa, relationes, creaturas omnes possibles & futuras. Quæstio est, an Verbum ab ipso procedat ex cognitione horum omnium; an aliquorum tantum; & quorum? Omnes conveniunt, quod procedat ex cognitione essentia & attributorum: & ibi sicut Secus, negatur procedere ex cognitione relationum & creaturarum. Putantur dicit, procedere ex cognitione essentia, attributorum, & Paternitatis: Vasquez, ex cognitione etiam ipsius Verbi Turrianus etiam ex cognitione Spiritus S. Alii communiter docent, procedere ex cognitione essentia, relationum, & creaturarum possibilium: quidam addunt etiam, futurarum.

Quæstio hæc procedit sub præcessionem valde Metaphysica, nimirum, quæ cognitio in Patre per se 4. modo concurrat ad processionem Verbi. Illud autem dicitur in Philosophia concurrere, seu convenire per se quarto modo, quod convenit sub formali ratione conducente ad aliquam operationem, & non identice tantum, aut concomitantè: illi dicitur non convenire per se quarto modo, sed per se primo modo, quod essentialiter & intrinsecè convenit quantum ad quidditatem, non tamen dicit, seu importat rationem formalem conducentem ad operationem: Sic, cum dico: homo ratiocinatur, hæc propositio est per se quarto modo, quia in ea importatur ratio seu principium formale conducentes ad ratiocinationem, nempe homo. Si autem dicam: animal ratiocinatur, demonstrato homine, est tantum per se primo, & non quarto modo; quia, licet animal sit de quidditate hominis, non tamen est ratio formalis conducentes ad ratiocinationem; non enim homo ratiocinatur animalitate, sed ratione, qua homo constituitur in esse hominis. Quæritur itaque, an Verbum procedat a Patre per se quarto modo ex cognitione, non solum essentia & attributorum, sed etiam relationum & creaturarum? Pro cuius resolutione.

Dico 1. Verbum procedit per se quarto modo ex cognitione non solum essentia & attributorum, sed & relationum & creaturarum possibilium. Prob. 1. Ex SS. Aug. & Th. S. Aug. 15. de Trinit. cap. 14. de Patre dicit: *Novit omnia Deus Pater;* Et de Verbo: *De scientia Patris natum est. S. Th. hic q. 34. art. 1. ad 3. Pater intelligendo & Filium & Spiritum S. & omnia alia, quæ in eius scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Intelligit de 5. naturalis & necessaria, quæ est tantum possibilem, ut dicam secunda conclusionem, & patet ex illo alio testimonio S. Th. ibid. art. 3. o. *Deus, inquit, cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est representativum omnis, quod intelligit: unde in nobis sunt diversa verba secundum diversa, quæ intelligimus. Sed quia Deus uno actu & se, & omnia intelligit, unicum Verbum eius est expressivum, non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva et factiva; ita Verbum Dei eius, quod in Deo Patre est, expressivum tantum, creaturarum vero est expressivum, et operativum.* Vides, S. Doctorem non dicere factiæ aut facturam, sed factivum & operativum; idæque non loqui de scientia libera, qua res futurse sunt aut fiunt, se de scientia necessaria; qua res fieri possunt.

Prob. 2. ratione: Verbum per se quarto modo procedit a Patre ex cognitione essentia perfectissima, consequenter comprehensiva, est enim terminus adequatus intellectus Paternæ, quæ est perfectissima & comprehensiva. Hinc Aug. 15. de Trinit. cap. 14. *Pater, inquit, non perfecte, et integrè se ipsum divisisse, si aliquid minus esset in eius verbo quam in ipso;* atqui cognitio essentia perfectissima & comprehensiva attingit, non solum ipsam essentiam & attributa, sed etiam relationes & creaturas possibles: ergo. Prob. Min. Cognitio comprehensiva est cognitio adequata objecti cognoscibilitatem, ita ut per eam objectum cognoscatur extensive & intensive, quantum est naturaliter cognoscibile, ut vidimus tract. præced. Dissert. 4. art. 9. consule; atqui essentia divina non cognoscitur, quantum est naturaliter cognoscibilis, nisi in ea cognoscantur relationes & creaturæ possibles: ergo. Prob. Min. Essentia divina non cognoscitur quantum est cognoscibilis, nisi cognoscatur ut factiva & communicabilis; atque ut omnipotens; atqui non potest cognosci ut factiva & communicabilis, nisi cognoscatur termini fecunditatis, & communicabilitatis; qui sunt relationes;

neque cognosci potest ut omnipotens, nisi cognoscantur in omnipotentia creaturæ possibles, quæ in ea continentur, & quæcum habet necessariam connexionem; virtus enim causæ comprehendi non potest; seu cognosci quantum est cognoscibilis, nisi cognoscantur omnes effectus in illa contenti: ergo.

Si dicas: Angelus comprehendit suum intellectum, & tamen non cognoscit omnes intellectiones, quas formare potest: similiter potentia visiva potest comprehendi absque eo, quod cognoscantur omnia visibilia particularia, ad quæ extendi potest, sed sufficit quod cognoscatur visibile ut sic: ergo similiter ut omnipotentia comprehendatur, non est necesse cognoscere omnia possibilia in singulari, sed sufficit cognoscere possibile ut sic. R. N. Conseq. disparitas est, quod intellectus Angelicus non sit causa adequata omnium intellectionum, quas formare potest, neque potentia visiva omnium visionum, quas elicere potest, sed ad hoc utraque potentia indiget speciebus vel infusis vel acquisitis, quibus succundet. At omnipotentia Dei est causa adequata & completissime continens omnes effectus possibles in particulari quoad omnes rationes specificas & individas.

Confirmatur Conclusio. Verbum per se procedit ex cognitione eorum, quorum est naturaliter & necessario expressivum & representativum; est enim expressio eorum, quæ intellectus intelligit, & ut sit S. Th. hic art. 3. o. *Verbum, quod concipitur, est representativum omnis eius; quod actu intelligitur;* atqui Verbum naturaliter exprimit & representat, non solum essentiam & attributa, sed relationes & creaturas possibles: ergo. Prob. Min. Verbum naturaliter & necessario exprimit ac representat omnia, quæ Deus Pater naturaliter & necessario intelligit; atqui Deus Pater naturaliter & necessario intelligit, non solum essentiam & attributa, sed relationes & creaturas possibles; hæc enim necessario refulcent in essentia divina, cum non pendeant a libero Dei Decreto: ergo.

Dico 2. Verbum non procedit per se quarto modo ex cognitione creaturarum futurarum, sed concomitantè tantum & per accidens.

Prob. 2. pars. 1. Cognitio, ex qua per se Verbum procedit, est naturalis & necessaria, quia Verbum naturaliter & necessario procedit; atqui cognitio futurorum non est naturalis & necessaria, sed supponit decretum Dei liberum, & sicut res futurse poterunt non esse, ita potuit non esse earum cognitio: ergo.

Prob. 2. Illud per se non concurrat ad productionem Verbi quod si abesset, nihilominus procederet Verbum essentialiter, invariato, & ejusdem rationis ac nunc est; atqui, si abesset futurorum cognitio, nihilominus procederet Verbum essentialiter invariato, & ejusdem omnino rationis ac nunc est: ergo. Major patet us, qui intelligit terminos. Prob. Min. 1. Ex S. Anselmo in Monolog. cap. 30. ubi dicit: *Si Deus cogitatur, nulla alia existens essentia, sive alii existentibus, necesse est Verbum illius coterminum illi esse cum ipso.* 2. Si non essent futurse creaturæ, voluntas Dei eadem invariata maneret; non enim mutatur ex libero decreto futurorum: ergo similiter intellectus divinus, & Verbum illo productum invariata manerent.

Datum respondet huic argumento doctissimus Witasse, Verbum in hac hypothesis invariatur manere quoad entitatem, non quoad representationem, quam de facto habet, concedit hæc responsio quod intendimus, scilicet cognitionem futurorum non concurrere per se ad productionem Verbi quoad ejus entitatem, seu essentiam, sed tantum quoad representationem accidentalem, quam habet ex hypothesis.

Confirmatur: Cognitio, ex qua per se procedit Verbum, debet prius origine convenire Patri, quam Verbo; atqui cognitio futurorum non convenit Patri prius origine, quam Verbo, quia supponit decretum, quod est commune tribus personis, nec prius origine convenit uni, quam alteri: ergo.

2. Pars patet ex dictis: quia, cum Verbum procedat ex cognitione essentia comprehensiva, & res futurse in ea per accidens & hypothesis decreti contineantur, sequitur, quod ex earum cognitione per accidens & concomitantè procedat.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. Conclusionem: Objectum primarium divine intellectionis est essentia divina, relationes autem pertinent ad secundarium objectum tantum; atqui Verbum per se procedit ex intellectione objecti primarii: ergo. R. N. Min. Hoc ipso enim quod Verbum procedit ex cognitione comprehensiva, debet procedere ex cognitione objecti tam secundarii, quam primarii; quia primarium non potest comprehensivè cognosci absque objecto secundario intrinsecè coanexo cum primario.

Inst.

Inst. probando Minor. negatur: objectum primarium prius cognoscitur, quam secundarium; atqui Verbum procedit ex cognitione primaria: ergo. R. N. iterum maj. cum enim objectum primarium cognoscatur cognitione comprehensiva, non potest cognosci, quin simul cognoscatur secundarium cum ipso intrinsecè connexum. Est autem æquivocatio in hac voce *Primarium*; neque enim essentia divina dicitur objectum primarium, & relationes secundarium, quia essentia prius cognoscitur quam relationes, sed quia essentia cognoscitur ratione sui, & relationes ratione essentia.

Obj. 2. Cognitio, ex qua per se procedit Verbum, est intuitiva; atqui non potest esse intuitiva Verbi & Spiritus S. ergo. Major constat; quia cognitio, ex qua procedit Verbum, debet esse perfectissima, cognitio autem intuitiva est perfectior abstractiva. Prob. Min. cognitio intuitiva fertur in rem actu existentem; atqui pro instanti, quo concipitur procedere Verbum, nondum intelligitur existere Filius & Spiritus S. si quidem Filius hæc ipsa cognitione procedat, & Spiritus S. illam supponat, procedit enim ex Patre & Filio: ergo. R. N. Min. ad Prob. D. Min. pro instanti, quo concipitur procedere Verbum, nondum intelligitur existere Filius & Spiritus S. & tamen revera existunt, C. Et revera non existunt, N. Corrigendus est ergo hic imperfectus noster intelligendi modus, ortus ex imbecillitate mentis nostræ, quæ divinarum processionum rationem attingere non valet. Prioritas inter divinas personas est dumtaxat prioritas originis, & a quo, seu ordinis & rationis, nullatenus prioritas durationis & in quo; simul namque existunt in eodem nunc æternitatis, ita ut prioritas ordinis & rationis nostræ nullo modo officiat earum coexistentia, nec consequenter cognitioni intuitive.

Inst. Ex nostra sententia videtur necessario sequi, Verbum esse prius seipso, & Spiritum S. esse priorem & posteriorem Verbo. Verbum est prius seipso, quia cognoscitur intuitive ut existens antequam procedat, & tamen non existit nisi processionem. Spiritus S. est prior Verbo, quia antequam procedat Verbum, cognoscitur intuitive existens; & est posterior Verbo, quia ex illo procedit. R. Iterum corrigendam esse imaginationem nostram, & attendendum in Trinitate nihil esse prius, aut posterius durationem, sed origine dumtaxat & ordine, sicque nullam personam posse dici, aut esse altera priorem, aut posteriorem. Si tamen vis ludere in prioritate ordinis & rationis, distingue sic: Verbum est seipso prius & Spiritus S. est prior & posterior Verbo sub eadem ratione, N. sub diversa ratione, C. Verbum ut cognitum est prius seipso ut procedente. Spiritus ut cognitus est prior Verbo; ut procedens est posterior. Sed ut iterum repetam, istæ prioritates sunt signata rationis nostræ. Etenim a parte rei semel & simul ab æterno Verbum & Spiritus cognoscuntur & procedunt.

Obj. 3. Si Verbum procedere ex cognitione Filii, Spiritus sancti & creaturarum possibilem, esset illorum imago; atqui illi dici non potest: ergo. Prob. Maj. esset simile illis, quia esset representativum illorum; Verbum enim representat ea, ex quorum cognitione procedit: ergo. R. N. Maj. ad Prob. D. Ant. Esset simile illis, sed non procederet ex illis, C. Ant. & simul procederet ex illis, N. Ant. & Conseq. Aliud est ergo procedere ex cognitione, seu per cognitionem alicujus, aliud procedere ex illo. Verbum quidem procedit ex cognitione, seu per cognitionem personarum & creaturarum, quia sunt termini illius cognitionis seu objecta cognita; at non procedit ex illis, sed ex solo Patre, qui illa omnia cognoscit: ad rationem autem imaginis non sufficit similitudo, seu representatio, ut dictum est, sed requiritur processio ab eo, cuius est imago.

Inst. 1. Ad rationem imaginis non requiritur, quod procedat tanquam a principio ab illo, cuius est imago, sed sufficit, quod procedat ab illo tanquam ab objecto existente in intellectu illius, a quo producit: patet in imagine exteriori v. gr. *Cæsaris*, quæ, licet non procedat a *Cæsare* tanquam a principio effectivo, est tamen illius imago, quia *Cæsar* habet esse cognitum in mente pictoris: ergo. R. N. Ant. ad Prob. petitam ex imagine exteriori, N. hæc esse imaginem *Cæsaris* ut est ad extra, sed *Cæsaris* ut est in mente pictoris: unde debet dici imago pictoris, quatenus est *Cæsar* ideatus; quatenus verò *Cæsar* habet rationem objecti ad extra, non respiciat ab imagine primario & formaliter in ratione imaginis, sed secundario tantum in ratione similitudinis; quæ etiam ratione Verbum est expressivum & representativum relationum & creaturarum.

Subsumes; atqui objectum cognitionis est principium cognitionis; ex objecto enim & potentia paritur notitia: ergo, si persone & creaturæ possibles sint objectum cognitionis Paternæ, sunt etiam ejus principium, consequenter principium, a quo Verbum procedit. R. D. Subsumptum; atqui objectum cognitionis est principium quo cognitionis, C. principium quod, N. imago autem non dicitur per respectum ad principium quo, sed a principium quod: sic in humanis, quamvis proles sit a

natura Patris, ut a principio quo, non dicitur tamen natura Filius aut imago, sed Patris, qui est principium quod exprimens & originans suam similitudinem: ita in divinis. Confer art. 1. hujus Dissert. quæres 4. in resp. ad obj. 2. Adde relationes & creaturas non esse objectum divine intellectionis ratione sui, sed ratione essentia, in qua involvuntur.

Obj. 4. S. Thom. quæst. 4. de verit. art. 5. o. dicit: *Quia Pater principaliter dicit se, generando Verbum suum, & ex consequenti dicit creaturas; idè principaliter & quasi per se Verbum refertur ad Patrem, sed ex consequenti & quasi per accidens refertur ad creaturam: accidit enim Verbo, ut per ipsum creatura dicatur:* ergo Verbum non procedit per se ex cognitione creaturarum possibilem, sed per accidens, ut dicimus de cognitione futurorum in secunda conclusione. Quidam respondet, *To per accidens & To accidit* sumi illic a S. Doctore, non prout idem est ac accidentaliter, sed prout idem est ac per aliud, quia nempe Verbum non representat creaturas possibles ratione sui, sed ratione essentia prius representata. Hæc responsio est probabilis, quam fusius explicatim videre potes in Gonet disp. 9. art. 2. n. 45. & 46. sed probabilius R. S. Th. illic loqui de creaturis futuris; quia, ut patet ex contextu, loquitur de creaturis, ad quas Deus refertur relatione creatoris & Domini: hæc autem sunt futurse.

Obj. 5. Si per impossibile creaturæ forent impossibiles, & nulla esset earum cognitio, nihilominus Deus maneret invariatus, & consequenter procederet Verbum ejusdem rationis, ac nunc est: ergo cognitio creaturarum possibilem non concurrat per se ad productionem Verbi. Patet Conseq. quia, ablato eo, quod per se concurrat ad productionem alicujus, aut non producit, aut alterius rationis producit. Prob. Ant. Deus non est necessario connexus cum creaturis: ergo. Prob. Ant. Si Deus necessario esset connexus cum creaturis, sequeretur, 1. quod dependeret ab illis. 2. Quod, sublata possibilitate unius creaturæ, v. gr. unius muscæ tolleretur aut mutaretur divinitas, quod nihil absurdius potest dici: ergo. R. N. Ant. ad Prob. D. Ant. Deus non est necessario connexus cum creaturis per dependentiam sui ab illis, C. Ant. per dependentiam creaturarum a se, N. Ant. non enim, ut duo extrema sint inter se necessario connexa, requiritur, quod a se invicem dependeat; sed sufficit, quod unum dependeat ab altero, & quod istud alterum necessario exigat hæc a se dependentiam, ut patet in connexionem necessaria essentia, & proprietarum, proprietatis dependet ab essentia, non essentia a proprietatibus. Quamvis autem omnipotentia Dei nullatenus dependeat a possibilitate creaturarum, possibilitas tamen creaturarum dependet ab omnipotentia Dei, & omnipotentia Dei necessario exigit hæc possibilitatem a se dependere; dicuntur enim creaturæ possibles, quia Deus est omnipotens: unde, si non forent possibles, idè esset, quia Deus non foret omnipotens, & sic sublata possibilitate creaturarum sequeretur a posteriori & per locum extrinsecum, quod tolleretur omnipotentia Dei, & consequenter ejus divinitas. Ex quo patet responsio ad utrumque inconveniens. Primum est negandum. Secundum distinguendum sic: Sequeretur a posteriori & per locum extrinsecum, quod, sublata possibilitate unius muscæ, Deus tolleretur aut mutaretur, C. sequeretur a priori & per locum intrinsecum, N. Confer, quæ dixi Tract. præced. Dissert. 5. art. 4. in solutione primi argumenti.

Obj. 6. Spiritus S. non procedit per se ex amore creaturarum: ergo nec Verbum ex earum cognitione. R. N. Conseq. Disparitas est, quod in Deo non sit amor creaturarum possibilem, ut dixi tract. præced. Dissert. 7. art. 5. futurarum autem est amor liber, ex quo non potest procedere per se Spiritus sanctus, sed tantum per accidens & concomitantè: at in Deo datur cognitio creaturarum possibilem, eaque necessaria, ex qua proinde procedit per se Verbum.

Obj. 7. contra 2. Concl. Verbum per se procedit ex cognitione comprehensiva; atqui cognitio comprehensiva attingit etiam creaturas futuras: ergo. R. D. Maj. Verbum per se procedit ex cognitione comprehensiva naturali & necessaria, C. libera, N. patet ex dictis. Cognitio autem creaturarum futurarum in Deo est libera, fundata nempe in decreto libero, quod potuit non esse.

Inst. Verbum divinum procedit per se ex cognitione creaturarum, quas vi processionis representat; atqui vi processionis representat creaturas futuras: ergo. Prob. Min. Verbum de facto representat creaturas; atqui quidquid habet Verbum, habet vi processionis: ergo. Prob. Min. Quidquid habet Verbum, habet a Patre per generationem & processionem: ergo vi generationis & processionis. R. N. Min. intellectum formaliter. Ad Prob. N. Min. ad prob. N. Conseq. Quia aliud est habere per processionem, aliud habere vi processionis formaliter per se quarto modo. Potest enim aliquid haberi per processionem identice & concomitantè, quod non est haberi vi processionis

for-



formaliter per se quarto modo. Sic Spiritus S. habet esse Deum per processionem identicam & concomitantem; non tamen vi processionis formaliter per se quarto modo. Ita similiter Verbum habet representare creaturas futuras per processionem identicam & concomitantem, non vi processionis formaliter per se quarto modo; quia, licet eas non representaret, nihilominus procederet ejusdem rationis ac nunc est quoad entitatem, & essentiam.

Quaedam alia argumenta proponunt adversarii tam ab auctoritate SS. Aug. & Thom. quam a ratione, sed nihil aliud probant, quam quod concedimus in secunda parte conclusionis, scilicet Verbum procedere ex cognitione creaturarum futurarum per accidens & concomitantem. Unde illa omittimus.

Si petas, utrum Verbum per se procedat ex cognitione futurorum conditionatorum? R. Negative; quia secundum nos futura conditionata non minus dependent a decreto Dei libero, quam futura absoluta. At defensores Scientie medie, si conformiter loquantur ad sua principia, debent respondere affirmativè.

ARTICULUS IV.

De Persona Spiritus sancti.

Utrum Spiritus S. procedat a Filio? D. Thom. Quæst. 36.

Prænotanda.

Nota 1. Spiritum a Patre procedere, communis est & certa fides, quam expresse tradidit Scriptura Joann. 15. Cum venerit Paraclætus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit: & quam adversus Arianos & Macedonianos, qui, cum Filio & Spiritum S. in ordinem creaturarum redigerent, dicebant Filium a solo Patre, & Spiritum S. a solo Filio esse factum; Concilium Constantinop. I. decretorie definit, addendo Symbolo Nicæno has particulas de Spiritu S. Qui ex Patre procedit.

Nota 2. Hoc errore tunc extincto, alter insurrexit de processionem Spiritus S. a Filio, quam Græci diu pertinaciter negarunt contra Latinos, & quamplurimi etiam nunc pernegant. Hujus erroris originem dicit S. Thom. (Hic q. 36. art. 2. ad 3.) a quodam Symbolo Nestoriano in Ephesia Synodo dematato, & ex Theodoro (legendum videtur Theodoro) Nestorii factore, in reprehensione noni Anathematis S. Cyrilli; quem Theodoretum primum hujus erroris Auctorem etiam designat Hugo Etherianus, Bellarminus, Petavius, Garnerius, & alii: quamvis illum excusare conentur quidam recentiores. Sed, quidquid sit, constat saltem hunc errorem non ulterius tunc seppisse, sed quasi sopitum remansisse usque ad medium circiter 7. sæculi, quo Græci suum dogma instaurare coeperunt, contra quos ex eadem gente scripsit S. Maximus Martyr in Ep. ad Marinum apud Petavium l. 7. c. 2. n. 2. Sed 8. sæculo aperti, & acris hinc, & inde dimicium fuit inter Græcos, & Latinos, qua de causa plurimæ Synodi in Italia, Germania, & Gallia habitæ sunt. Et tandem circa medium sæculi 9. operante Photio Sedis Constantinopolitane invasore, pulso S. Ignatio, dissidium in apertum schisma erupit. Photium damnavit Nicolaus I. SS. Pontifex; hunc vicissim insolenter damnavit Photius, & virulenta scripta adversus Nicolaum, & Latinos vulgavit, ipsos præsertim relarguens, quod Spiritum S. a Filio procedere dicerent. Hunc, hortante Nicolao I. strenuè exagitarunt Gallicani Præsules, Odo Bellovacensis, Aeneas Parisiensis, & Raturamus Monachus Corbejensis.

Sæculo 11. recruduit disputatio, & in apertum schisma evasit, annitentibus Michaële Cerulario Patriarcha Constantinop. & Imperatore Constantino Monomacho. Qua de causa Urbanus II. Concilium Barensis in Apulia convocavit ann. 1097. in quo Græcos disputantes prorsus revicet, ac attrivit S. Anselmus Episcopus Cantuariensis in Anglia; cujus Concilli, quamvis acta non extant, extant tamèn disputationes, & argumenta S. Anselmi in libro, quem de processionem Spiritus S. editit.

Sæculo 13. ann. 1215. in Concilio Lateran. IV. sub Innocentio III. præsentibus Patriarchis Constantinop. & Hierosol. & aliis Præsulibus Græcis, definita est processio Spiritus S. a Filio, & pax inter utramque Ecclesiam inita; quæ, cum non diu stetit, iterum in Concilio Lugdunensi ann. 1274. sub Gregorio X. redintegrata est, Græcis suum errorem ejurantibus, & cum Latinis inter Missarum solemniam cantantibus Symbolum cum additione Filioque.

Verum nec diuturna fuit ista pax, Græcis pro sua levitate ad vomitum reversis, donec tandem in Concilio Florentino ann. 1439. sub Eugenio IV. cui adfuerunt cum Patriarcha Constantinop. plures Ecclesie Græcæ Anistites, inter quos eruditionis fama eminebat Bessarion, postea Ecclesie Romana

Cardinalis, post varias & proluxas disputaciones, in quibus pro Latinis præcipuas partes agebat noster Joannes de Monte Negro Lombardus Provincialis, vulgò dicitur Joannes Theologus, vel Joannes Provincialis, iterum concordia inita est, & processio Spiritus S. a Filio sancita, cui subscribere omnes Græci, excepto Marco Ephesino; qui redux in Patriam, cum apud suos auctoritate polleret, multos in suas partes pertraxit; nulla tamèn fuit edita fidei professio contraria Florentina, unde error eorum, qui inter Græcos nunc a nobis desident, censi debet personalis, & non totius Ecclesie Græcæ.

Nota 3. Græcos (Hic q. 36. art. 1. o. et opusc. 1. cap. 52. §. Volunt.) non negasse, nec negare omnem respectum Spiritus S. ad Filium. Concedunt namque, Spiritum S. esse Spiritum Filii, & esse a Patre per Filium, imò quòd sit a Filio, quòd effluat, scaturiat, emanet, spiretur a Filio, non tamèn quòd procedat ab illo, quia existimant id importare duo principia, nec Patrem & Filium esse unicum illius processionis principium, eò quòd procedere apud ipsos designet processionem ex principio, quòd ab alio non procedit. Unde videtur questio quasi de nomine, nata ex ignorantia vel protervia: quia, si quis rectè consideret, inveniet verbum processionis inter omnia, quæ ad originem qualecunquæ pertinent, communissimum esse, & minus quam quodvis aliud modum originis determinare; utimur enim eo ad designandam qualecunquæ originem, sicut quòd linea procedat a puncto, radius a sole, rivus a fonte, & similiter in quibuscunquæ aliis. Unde, quòd quomodocumquæ est ab alio, potest dici ab illo procedere; non tamèn quòd quomodocumquæ ex alio procedat, potest dici ab illo effluere, spirari, generari, mitti, vel emanere. Hoc ipso itaque; quòd conceditur Spiritum S. esse aliquo modo a Filio, necessario concedi debet, quòd ab illo procedat. Unde pro defensione Catholici dogmatis sit

Resolutio Questionis.

Deo: Spiritus S. a Filio procedit. (Ibid. et q. 10. de pot. art. 4. in 1. d. 11. quæst. 1. 4. contr. g. cap. 24. Opusc. cit. cap. 32.)

Prob. 1. auctoritate Scripturæ. Tria asserit Scriptura, quæ stare non possunt, si Spiritus S. non procedat a Filio: Primum, quòd Spiritus S. accipiat de Filio: secundum, quòd Filius mittat Spiritum S. tertium, quòd Spiritus S. sit Spiritus Filii. Igitur

1. Spiritus S. (Ibid. §. Alterius.) accipiat a Filio: Joann. 16. Non loquetur a semetipso: sed quæcumque audierit loquetur, et que ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis; atqui in divinis una persona non accipit ab alia, nisi quia procedit ex illa: ergo. Prob. Minor. Quod quis accipit ab alio, vel est quid accidentale, vel quid substantiale; atqui Spiritus S. non accipit a Filio aliquid accidentale, uterque enim est experts accidentis: ergo quid substantiale & ipsam substantiam per actionem substantialem, quòd est procedere in substantia a Filio. Item Spiritus S. accipit a Filio scientiam, ab illo enim audiet quæcumque annuntiabit; atqui scire illi est esse, ut ait Aug. Tract. 99. in Joann. & patet, quia scientia in Deo non distinguitur ab essentia.

Neque dicas, has voces, de meo accipiet, non significare de me accipiet, sed de meo Patre, vel de substantia divina, quæ etiam est mea, sed tamèn a solo Patre. Hanc enim interpretationem esse falsam, demonstrat ipse Christus, assignans versu sequenti, cur Spiritus S. de suo accipiet: Omnia, inquit, quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi vobis, quia de modo accipiet; atqui Pater habet vim spirandi Spiritum S. ergo & Filius. Ita argumentabatur Joannes Theologus sess. 21. Concilli Florentini post S. Athanasium Ep. ad Serap. S. Hilar. 8. de Trinit. & S. Thom. citatum. Insuper, juxta hanc interpretationem Filius posset pariter dici accipere a Spiritu S. siquidem habeat a Patre substantiam, quæ est etiam substantia Spiritus S.

Neque etiam obstat, quòd dicit in futura, de meo accipiet; quia ibi futurum ponitur, non respectivè ad processionem æternam, sed respectivè ad effectum temporalem, qui est annuntiatio veritatum cælestium; sive quia, ut ait Aug. loco cit. In eo, quòd est sempiternum, cujusvis temporis ponitur Verbum, sive præteritè, sive presentè, sive futuri, non mendaciter ponitur; quia quòd æternum est, et fuit, et erit, et est; fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit, et est, quia semper est.

2. Filius (Ibid. §. Similiter; et contr. gent. cit.) mittit Spiritum S. Joann. 15. Cum venerit Paraclætus, quem ego mittam vobis a Patre. Et cap. 16. Si non abiero, Paraclætus non veniet ad vos; si autèm abiero, mittam eum ad vos; atqui Spiritum S. mitti a Filio est ab illo procedere: ergo. Prob. Minor. Missio unius ab alio fit vel tanquam a superiore per imperium, vel

tanquam a sapientiore per consilium, vel per processionem seu originem tanquam a principio; atqui Spiritus S. non mittitur a Filio tanquam a superiore per imperium, neque tanquam a sapientiore per consilium: ergo tanquam a principio per processionem, seu originem.

Si dicas, Filium etiam mitti a Spiritu S. Isaac 61. Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me. (Ibid.) R. Filium mitti a Spiritu S. secundum naturam assumptam; Spiritum autèm non assumpsit naturam creatam, ut secundum eam posset dici missus a Filio. Neque etiam dici potest, Spiritum mitti, & dari nobis a Filio, quatenus conferuntur nobis dona gratiæ, quæ dicuntur Spiritus S. dona; quia, ut dicam infra, ipse personæ divinæ per missionem habitat, & manent in nobis, juxta illud Joann. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Aliudè mitti non dicitur de aliqua qualitate creata, sed de personæ.

3. Spiritus S. (Opusc. cit. §. Ad ostendendum.) dicitur Spiritus Filii, Act. 16. Cum venissent autèm in Mysiam, ventabam ire in Bythiniam, & non permise eos Spiritus Jesu. Galat. 4. Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra; & alibi. Ex quibus sic argumentor: Eo modo Spiritus S. dicitur Spiritus Filii, quòd dicitur Spiritus Patris, Matth. 20. Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis; atqui in tantum dicitur Spiritus Patris, in quantum procedit a Patre: ergo. Item Spiritus S. dicitur Spiritus Filii, vel quia procedit a Filio, vel quia Filius procedit ab ipso; non secundum: ergo primum. Prob. Maj. Spiritus S. non dicitur Spiritus Filii ratione subjectionis aut servitutis, sed ut persona coæqualis: ergo ratione originis, quia nempe procedit a Filio, aut Filius ab ipso; nihil enim est aliud assignabile.

Prob. 2. ex (Ib. per varios §§.) Patribus, præsertim Græcis, qui ante Schismatis ortum floruerunt. S. Athanas. Orat. 3. contr. Aria. Quæcumque, inquit, Spiritus habet, hæc a Verbo habet. Ep. 3. ad Serap. Qualem scimus proprietatem esse Filii ad Patrem, eandem ad Filium habere Spiritum S. competitivè: & quemadmodum Filius dicit: omnia quæcumque habet Pater meo sunt, ita hæc omnia per Filium in Spiritu S. esse deprehendemus. Lib. de humana Christi natura: noster (David) apud Patrem, Filium esse fontem Spiritus S. et in symbolo, quòd ejus nomine inscribitur: Spiritus S. a Patre & Filio, non factus, nec genitus, sed procedens. S. Basilii l. 2. de Spiritu S. adversus Eunomium, dicentem Spiritum S. a solo Filio procedere, admittit ut indubitatum Spiritum S. a Filio procedere, & probat etiam a Patre procedere. 1. Quia nulla Filio operatio a Patre divisa est; omnia enim mea tua sunt, & tua mea: quomodo igitur Spiritus causam, & originem soli Filio tribuit? 2. Quia non sunt duo principia Spiritus S. sed unum principium. 3. Quia Apostolus utrumque conjungit Patrem & Filium, nominans modò Spiritum Patris, modò Filii, que sunt probationes nostræ. Idem Basilii l. 5. contra eundem Eunom. probat, Spiritum S. esse ordinæ tertium in SS. Trinitate, & a Filio secundum, ut qui ab illo esse habet. De isto loco acriter disputatum est sess. 20. 21. & 22. Concilli Florent. inter Marcum Ephesium pro Græcis, & Joannem Theologum pro Latinis, accusante Marco Ephesio interpolationem codicis, quo utebatur Joannes Theologus, reponente Joanne esse probatè fidei codicem, upotè 600. annis antè Concil. Florent. in membranis scriptum, & a Cardinali Cusano allatum. Idem Basilii eod. lib. Eunomio querenti, cur Spiritus S. non dicitur Filius Filii? Respondet, idèd non dici, non quòd ex Deo non sit per Filium, sed ne Trinitas putetur esse infinita multitudo, si quis eam suspicaretur; ut fit in hominibus, filius ex filiis habere. Ex quibus omnibus liquet, non solum Spiritum S. a Filio procedere juxta Basilium, sed id tanquam indubitatum tunc haberi ab omnibus tam Catholicis, quam Hæreticis. S. Epiphanius hæret. 62. a Patre Filioque non alienus (Spiritus) sed ex eadem substantia, eademque divinitate ex Patre & Filio. Hæret. 71. Spiritus S. ex ambobus oritur, Spiritus e Spiritu; Deus enim est Spiritus. Et in Anchorato n. 8. Spiritus Patris, & Spiritus Filii... ex Patre & Filio procedens. Et n. 67. Cum Christus ex Patre credatur Deus ex Deo, & Spiritus ex Christo, sive ab ambobus, ut Christus his verbis asserit: qui a Patre procedit, & hic de meo accipiet. Quo Scripturæ loco nos idem probavimus supra. Cyrillus Alexandrinus cum Synodo Alexand. in Ep. ad Nestorium n. 10. Essi Spiritus in propria persona subsistat, eatenusque in seipso consideretur quatenus est, & non Filius, non est tamèn ab eo alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur; Christus autèm veritas est, & proindè quoquæ ab illo, atque a Deo Patre procedit. Hæc Epistola lecta & probata fuit in Concil. Ephesino, & alius, ut dicam modò. Idem l. 10. comment. in Joann. postquam dixit Spiritum nosse, quæ sunt Filii, hanc rationem asserit: Ceterà Doctoris operam novis omnia, quæ sunt ejus, ex quo, & in quo est.

Longe plures alios Patres Græcos ommitto, qui legi possunt apud S. Thom. opusc. 2. cit. cap. 32. per varios §§. Et apud Bellarm. l. 2. de Christo, a capite 20. ad finem. Quam ad Latinos, Tertullianus contr. Praxeam c. 4. Hilarius c. 4. de Trinit. Ambrosius l. 1. de Spiritu S. c. 10. Aug. 4. de Trinit. cap. 20. S. Leo Ep. 93. Fulgentius de fide ad Petr. c. 11. & alii commaniter eandem veritatem constantè asserunt, sed illorum textus non referimus: nec in eis vim facimus, quia fateantur Græci se a Latinis desidere. Valent tamèn Patrum Latinoꝝ testimonia juncta testimoniis Græcorum, ut iis ostendatur hanc fidem nostram esse constantem totius Ecclesie traditionem.

Prob. 3. ex Conciliis. Et 1. Epistola S. Cyrilli ad Nestorium, in qua, ut vidimus, processio Spiritus S. a Filio disertè asseritur, lecta & approbata fuit in quinque Conciliis generalibus. In III. seu Ephesino. act. 1. in IV. seu Chalcedonensi act. 5. in V. collat. 6. & 8. in VI. act. 28. & in VIII. sess. ultima. 2. Eandem veritatem, presentibus & consentientibus Græcis, delinierunt. Concil. Lateran. IV. sub Innocentio III. ann. 1215. Lugdunense II. sub Gregorio X. ann. 1274. Florentinum sub Eugenio IV. ann. 1439. Et pluralia Concilia Provincialia.

Prob. 4. rationibus, quas ad tres reducit Aucto in hæc præsentè q. 36. art. 1. Prima est ab inconvenienti: alie due ex congruentia & majori conformitate ad ea, quæ naturalis ordo rerum patere videtur. 1. Spiritus S. (Hic quæst. 36. art. 2. o.) a Filio non procederet, non distingueret ab illo, distinguunt enim personæ per solam relationem originis: sed quia hanc rationem impugnat Scotos cum suis, eam fusius expendendam remittimus ad art. seq. 2. Filius (Ibid.) procedit per intellectum ut Verbum, Spiritus S. per voluntatem ut amor; atqui amor a Verbo procedit, non enim aliquid amamus nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus, seu, ut dicitur, nisi præcognitum: ergo. Neque obstat, quòd in visione beatificæ sit amor absquæ verbo; non est enim absquæ eo quòd supplet vices verbi, quòd est essentia divina. Non etiam obstat, quòd verbum non concurrat effectivè ad amorem, sed objectivè tantum, & finaliter. Hoc dato, & non concessio, eo ipso quòd Verbum in divinis est persona subsistens, sicut tunc est principium quòd ad extrâ operans, ita debet esse principium amoris naturalis (Ibid.) 3. Quamvis plura naturaliter & solo numero distincta possint ab uno procedere absquæ ordine, sicut unus faber producit multos cultellos ab invicem materialiter & solo numero distinctos, nullum ordinem habentes ab invicem, nusquam tamen invenimus, quòd ab uno plura specie distincta procedant absquæ aliquo ordine vel originis & causalitatis, vel majoris & minoris gradus perfectionis; quòd patet in variis speciebus hujus Universi, quæ a Deo secundum ordinem majoris & minoris perfectionis procedunt; itèm in substantiis immaterialibus, scilicet Angelis, in quibus est etiam ordo diversæ perfectionis secundum diversa dona gratiæ; atqui Filius & Spiritus S. procedunt ab uno & eodem Patre, specie, seu quasi specie distincti, nec potest esse in eis ordo majoris & minoris perfectionis: ergo ordo originis, qua vel Filius procedit a Spiritu S. vel Spiritus S. a Filio. Primum admitti non potest: ergo secundum. His rationibus addi possunt sequentes.

4. Omnia in divinis sunt communia, ubi non obviat relationis oppositio, ut fert axioma communiter receptum; atqui inter Patrem & Filium non est oppositio relativa relatione spirationis activæ: ergo hæc est utriusque communis. 5. Si Spiritus S. non procederet a Filio, Filius non haberet totam essentiam Patris, proindè non esset Filius, non coæqualis Patri: ergo. Prob. Ant. non haberet eandem voluntatem cum Patre; nam, si haberet, produceret per illam Spiritum S. sicut Pater producit; ergo. Si dicas: Filius habet eundem intellectum cum Patre; & tamèn non producit Verbum sicut Pater: itèm Spiritus S. habet eandem voluntatem cum Patre, & tamèn non producit alium Spiritum S. sicut Pater. R. Disparitatem esse, quòd Filius procedendo per intellectum ipsa sua processionem exhaurit totam fecunditatem divini intellectus, cum sit terminus ejus adequatus, sicut non restat aliud Verbum producendum. Similiter Spiritus S. procedendo per voluntatem exhaurit paritè totam fecunditatem divinæ voluntatis, upotè terminus ejus adequatus; unde non restat alius terminus producendus. At verò, dàm Verbum per suam generationem accipit voluntatem a Patre, nondum concipitur exhausta hæc voluntas, nec habere suum terminum adequatum per processionem Spiritus S. quia Verbum concipitur prius procedere, quam Spiritus S. & idèd voluntas non est minus fecunda in Filio ad productionem Spiritus S. quam in Patre. 6. Quidquid (4. contr. gent. cap. 24.) non est contra naturam alicujus, non est impossibile; atqui esse principium Spiritus S. non est contra naturam Filii, neque in quantum est Deus, quia Pater, qui est Deus, est principium Spiritus S. neque in quantum est Filius, eò quòd est alia pro-



processio Spiritus S. alia Filii. Non est autem repugnans id, quod est a principio secundum unam processionem, esse principium alterius processionis, sicut Filius est a Patre ut a principio, & est principium alterius Filii. Relinquitur ergo, quod non sit impossibile Filium esse principium Spiritus S.: in Divinis autem non differt esse & posse: ergo Filius est principium Spiritus S.

Solvuntur Argumenta Græcorum.

Obj. 1. Scriptura sacra exprimit, Spiritum a Patre procedere, nusquam a Filio: ergo. (*Hic q. 36. art. 2. ad 1.*) R. D. Ant. Scriptura sacra non exprimit Spiritum procedere a Filio quoad verba, C. Ant. quoad sensum, N. Ant. Patet ex prohibitionibus conclusionis. Insuper regulariter in Scriptura sacra tenendum est, quod id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva addatur, nisi solum in illis, in quibus Pater, & Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus Matth. 11. dicit: *Nemo novit Filium, nisi Pater*, non excluditur, quin Filius seipsum cognoscat. Sic igitur, cum dicitur, quod Spiritus a Patre procedit, etiamsi adderetur, quod a solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius, quia quantum ad hoc quod est esse principium Spiritus S. non opponitur Pater & Filius, sed solum quantum ad hoc, quod hic est Pater, & ille Filius.

Obj. 2. Synodus II. generalis, Constantinop. I. in suo Symbolo exprimit processionem Spiritus S. a Patre, & nullam mentionem facit de Filio: ergo. R. Hoc argumentum iterum negativum nullius esse ponderis. Ideo namque Synodus mentionem facit de Patre, & non de Filio, quia tunc agebatur de processione Spiritus S. a Patre, quam negabant Eunomiani, non de processione Spiritus S. a Filio, quam admittunt. Hæc est autem Conciliorum religio, ut nihil in Symbolo inserant, nisi quod necessarium est pro temporum circumstantiis.

Obj. 3. Cum Carisius Presbyter act. 6. Concilii Ephesini recitasset publicè Symbolum Nestorianum, in quo inter cetera hæc leguntur: *Consisteri oportet, in unum nos Deum Patrem sempiternum credere... Et in Spiritum S. sed nec Filium illum putamus: neque per Filium suam subsistentiam habentem*; hunc articulum Synodus, cum alios de Incarnatione damnasset, non improbat. Et cum Theodoretus in impugnatione q. Anathematisi S. Cyrilli, quæ legitur 3. parte ejusdem Synodi, dixeret: *Proprium verò Spiritum Filium, si quia ejusdem nature sit, & ex Patre exeat, dixit (Cyrillus) consentiens, & ut piam vocem accipimus; sin autem, quia ex Filio vel per Filium habeat existentiam, id ut blasphemiam, & impietatem proficimus: credimus enim Domino dicenti: Spiritus, qui a Patre procedit. Nihil ad hæc repositit Cyrillus in sua defensione; ex quo & Concilii, & Cyrilli silentio videtur evidenter sequi, negationem processionis Spiritus S. a Filio non habitam fuisse tunc errorem.*

R. 1. Hanc objectionem non multum favere Græcis, qui libenter dicunt Spiritum S. procedere per Filium; quod tamē negant ut erroneum objectæ auctoritates.

R. 2. & Synodus & S. Cyrillum, si non ita distinctè, sufficienter tamē pro rei momento, & temporum circumstantiis improbasse errorem Nestorii, & Theodoretici circa processionem Spiritus S. a Filio. Et 1. quidem Synodus in definitione fidei contra istud Symbolum Nestorianum non solum damnat, quæ continet de Christi Incarnatione, sed etiam generaliter, *Scelerata, & perversa Nestorii Dogmata, quæ & subnexa sunt.* Item & maxime approbat Epistolam Cyrilli ad Nestorium, in qua expressè dicitur, quod Spiritus S. procedat a Filio, sicut a Patre, ut vidimus supra; quæ approbatione sufficienter damnat errorem contrarium, contentum in Symbolo Nestoriano. Et hæc ratione verisimiliter ductus S. Thomas dixit hic, hoc Symbolum fuisse in Concilio damnatum. Similiter S. Cyrillus non omnino neglexit criminationem Theodoretici, sed ejus objectionem solvit ipsis Christi verbis, de quibus nos supra; sic enim in defensione ejusdem 9. Anathematisi contra reprehensionem Theodoretici loquitur: *Procedit ex Deo Patre Spiritus S. secundum Salvatoris vocem, sed non est alienus a Filio; omnia enim habet cum Patre (consequenter Spirationem) & hoc ipse edocuit dicens de Spiritu S. omnia quaecumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis: ergo clarificavit quidem Jesum Spiritus S. admirabilia operantem ut Spiritus ejus, & non aliena virtus.* Et in sua defensione contra oppositiones Orientalium ad eundem Anathematisum 9. dicit: *proprium est ejus (Christi) Spiritus S. quemadmodum scilicet est Dei Patris: est autem Patris Spiritus per processionem.*

Cur autem Patres Ephesini, præsertim Cyrillus, in hunc Symboli articulum, & in hanc Theodoretici objectionem apertius non insurrexerint, & magis distinctè eam non damnaverint, duplex fuit causa. Præma: verba tam Symboli, quam Theodo-

reti poterant pati sensum legitimum, scilicet Spiritum S. non habere a Filio subsistentiam, vel existentiam, sicut habent creaturæ, hoc est, non esse a Filio creatum, ut dicebant Eunomiani, & Macedoniani, quorum error adhuc recens tunc sepebat; & reverà ita sensisse Theodoretum, voluit quidam recentiores, eumque æstu disputationis abreptum hunc Eunomianorum errorem falso S. Cyrillo imposuisse; de quo vide, si lubet, Witsae & Tourneley. Altera causa fuit, quod in Concilio Ephesino nullatenus esset questio de Mysterio SS. Trinitatis, sed tantum de Mysterio Incarnationis, cui totaliter intenti S. Cyrillus, & alii Patres Synodi, quæ obiter videbantur dicta contra Mysterium Trinitatis, & pati poterant bonum sensum, etiam obiter perstrinxerunt, ne viderentur absque causa novas controversias inferre Ecclesiæ; imitantibus in hoc prudentes medicos, qui, cum vident infirmum multiplici morbo laborantem, ei, qui magis urget, & sectione indiget, attentius intendunt; alios verò vel dubios, vel minus urgentes, licet fortè ex suo genere graviores, aut in aliud tempus dimittunt, aut eis quædam communia, & levia lenimenta adhibent.

Obj. 4. Cum displiceret Græcis, quod Latini dicerent Spiritum a Filio procedere, S. Maximus in Ep. ad Marinum Latinos eatenus excusavit, quatenus, etsi dicitur Spiritum S. ex Filio procedere, non dicunt tamē esse principium Spiritus S. Et S. Damascenus libr. de fide orthodoxa c. 11. ait: *Spiritus S. ex Patre esse statimus, & Patris Spiritum appellamus; at verò eum non ex Filio esse dicimus, sed Filii Spiritum nominamus.* R. ad 1. principium apud Græcos sumi pro primo, ut notat Petavius l. 7. de Trinit. c. 17. docet ergo S. Maximus, Latinos non dicere Filium esse principium, id est, primum fontem Spiritus S. licet dicant esse principium simpliciter. (*Ibid ad 3.*) Ad 2. R. 1. cum Auctore, S. Damascenus secutum fuisse plurium errorem; undè in hoc ejus sententiæ non est standum: quamvis a quibusdam dicitur, quod Damascenus, sicut non confiteri Spiritum S. non esse a Filio, ita etiam non negat ex vi illorum verborum. Et idè responderi potest. 2. S. Damascenus intelligere Spiritum S. non esse ex Filio, tantquam ex primo originis fonte, quia ut observat iterum laudatus Petavius loco cit. ex Demetrio, Calecia, & Bessarione, particula *ex*, sicut nomen principium, apud Græcos denotat primum fontem. Et quidem Damascenus loco objecto comparat Patrem soli, Filium radio, Spiritum S. splendori, qui est etiam a radio. Et c. 18. dicit, Spiritum S. esse imaginem Filii, sicut Filius est imago Patris.

Obj. 5. Cum nos in Gallia invaleret cantandi Symbolum cum additione *Filioque*, & Legati Caroli Magni & Synodi Aquisgranensis peterent a Leone III. ut & additionem & morem cantandi permitteret, renuit SS. Pontifex, & utrumque improbat; jussitque, Symbolum absquè illa additione in tabulis argenteis descriptum appendi ad valvas Ecclesiæ: ergo. R. Leonem III. improbasse duntaxat additionem *Filioque* factam Symbolo, & morem cantandi solemniter cum illa additione, quia ad id nondum nulla tunc cogebat necessitas, nec accesserat sufficientes auctoritates. At verò dogma Catholicum processionis Spiritus S. a Filio nedum non improbat, sed solemniter professus est, ut constat ex actis collationis dierum legatorum cum illo, quæ ex Smaragdo Abbate descripsit Sirmondus Tom. 2. Conciliorum Gallie, in quibus sic habetur: *Lectis enim a prædictis missis per ordinem testimoniis de processione Spiritus S. a Patre & Filio, atque a Domino Apostolico diligentissime auditis, ait: ita sentio, ita teneo, cum his Auctoribus & sacre Scripture auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo; & nisi conversus fuerit, & secundum hunc sensum tenere voluerit, contra sententiam funditus objicio.*

Cetera Græcorum argumenta omitimus, quia ut plurimum currunt in falsis suppositis; putant namque, ut jam diximus, vocabulum principium, & particulam *ex* designare primum omnino principium, quod a nullo sit principium. Undè arbitratur, quod, si Spiritus S. procederet ex Patre & Filio, forent duo principia Spiritus S. quod sapit heresim Manicheorum, & idè non refugunt, ut jam observavi, dicere Spiritum S. procedere a Patre per Filium; de quibus art. subsequenti. Qui tamèn plura argumenta videre voluerit, requirat in Auctore, tùm hic, cum maxime q. 10. de pot. art. 4.

ARTICULUS V.

Utrum, si Spiritus S. non procederet a Filio, distingueretur ab illo?

Hujus questionis discussione magis dignoscitur natura processionis Spiritus S. & magis elucidatur ratio, quæ Concilia & Patres usi sunt ad probandum Spiritum S. a Filio procedere; & idè; licet sit in hypothese impossibili, non est tamèn

mèn inutilis. Partem affirmativam tenet Scotus cum suis; negativam S. Thomas, quem sequuntur non solum Thomistæ, sed etiam communiter alii Theologi. Et nota, Scotistas non negare Filium distinguere a Spiritu S. per Spirationem activam; sed volunt, quod distinguatur etiam per Filiationem, ita ut, ablata per impossibile Spiratione activa, adhuc distinguatur. Contra quos

Dico: (*Hic art. 2. o. q. 10. de pot. art. 5. in 1. d. 11. a. 1. & 4. c. 5. c. 24.*) si Spiritus S. non procederet a Filio, non distingueretur realiter ab illo.

Prob. 1. auctoritate Patrum, & Conciliorum. Gregorius Nysenus l. 1. contr. Eunomium: *Dei ratio, inquit, principii ratione, nulla re S. Trinitas a se dissidet.* Aug. Tract. 39. in Joann. *Hoc solo numero instrumenti, quod ad invicem sunt. Eadem verba repetit Conc. Tolet. II. ann. 675.* in confessione fidei. Interpretari verò cum P. Henno, quod sint ad invicem per relationes disparatas, videtur planè contortum; nemo enim dixerit relationes disparatas, v. gr. Paternitatem, & similitudinem esse ad invicem, imò dicuntur disparatæ, quia non sunt ad invicem. Sicut in absolutis album, & calidum, v. gr. dicuntur disparata, quia non sunt ad invicem, sicut esset album, & nigrum, frigidum, & calidum. S. Anselmus libr. de processione Spiritus S. c. 3. *Supradicta relationis oppositio, quæ ex consonat, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum S. de invicem dici, & propriis singulorum aliis attribui.* Et ibidem: *Omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Quid respondeant Scotistæ, dicemus modo.

Concilium Florentinum probat contra Græcos, Spiritum S. a Filio procedere, ea potissimum ratione, quod alioquin non distingueretur a Filio: *Est verò secundum Doctores tum Græcos, quam Latinos, inquit Joannes Theologus sess. 18. sola relatio, quæ multiplicat personas in divinis productionibus, quæ vocatur origines.* Cui principio nullus Græcorum, neque etiam Marcus Ephesinus præcipuus Latinorum adversarius, contradixit: & quamvis non sit ibi definitio Concilii, tamèn maximi ponderis debet esse ista ratio, quæ a Græcis, & Latinis communiter probatur, & quæ fuit permota Ecclesiæ, ut definiret dogma Catholicum processionis Spiritus S. a Filio.

Prob. 2. Ratione. Personæ in divinis non distinguuntur inter se realiter nisi per relationes oppositas; atqui relationes oppositæ in divinis fundantur in origine, seu processione unius ab alio: ergo, si Spiritus S. non procedat a Filio, non opponitur illi relativè, nec consequenter ab eo realiter distinguitur. Major constat ex hoc principio receptissimo, & a Boëtio libr. de Trinit. ac ab Anselmo libr. de process. cit. desumpto: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Et quidem in Deo nihil est nisi essentia, attributa, & relationes, personæ conveniunt in essentia, & attributis, quibus identificantur ex summa Dei simplicitate: ergo per solas relationes distinguuntur; quatenus nihil refertur ad seipsum. Min. etiam constat, & communiter admittitur: quia Deus, cum sit ens simplicissimum, nullam distinctionem, aut oppositionem admittit, nisi quam tollere non potest, & ea est, quæ in origine fundatur, quia idem non potest procedere a seipso.

Respondent Scotistæ negando Maj. & ad Prob. dicunt, vulgatum principium intelligendum esse de oppositione relationis, vel relativæ, vel disparatæ, non semper de relativæ. Aliud enim, inquit oppositio relationis, & oppositio relativæ. Oppositio relationis relativæ, inquit doctissimus Pater Henno disp. 1. quæst. 10. est repugnantiæ, quæ reperitur inter duas relationes, quæ sese invicem respiciunt, ut inter Paternitatem, & Filiationem, Spirationem activam, & passivam. Oppositio relationis disparatæ est repugnantiæ, quæ reperitur inter duas relationes, quarum una sua ratione formali non est realiter altera, licet non se respiciant, nisi præcise in quantum unum distinctum respicit aliud, a quo distinguitur; & tales sunt Filiatio, & Spiratio passiva. Si dicas, relationes disparatas non esse incompossibiles in eodem supposito, nec idè constituturæ distinctas personas, ut patet in Paternitate, & Spiratione activa, quæ sunt in eodem Patre, itè in Filiatione, & Spiratione activa, quæ sunt in eodem Filio. Respondet idem Henno cum suis, quod, licet Paternitas, & Spiratio activa non sint incompossibiles in eodem supposito, attamèn Filiatio, & Spiratio passiva sunt incompossibiles, & duo supposita requirunt; quia, inquit, implicat idem produci per duas productiones totales, quod tamèn fieret, si unica persona haberet Filiationem, & Spirationem passivam; quandoquidè esset terminus generationis, & spirationis. Non implicat autè eidem supposito duplex actio totalis duorum effectuum, adeoque nec Patri generare Filium, & spirare Spiritum S. quandoquidè idem homo velit, intelligat, audiat, videat, generet, &c. quæ tamèn sunt actiones totales. Ità laudatus Theologus, & in hoc vertitur cardo difficultatis. Undè

Theol. Billuati. Pars Prima.

Contra 1. Hæc Scotistarum responsio non salvat doctrinam Gregorii Nyseni, Anselmi, & Concilii Florent. cit. juxta quam sola relatio principii, seu processionis personas multiplicat. Item SS. Patres, & Theologi unanimiter dicunt personas distinguuntur, non per disparationem, ut ita dicam, sed per oppositionem: fingere autè oppositionem disparatam est abuti terminis contra sensum communem, & rerum notiones confundere. Disparata enim dicuntur, quæ non sunt opposita, & quia non sunt opposita; si enim forent opposita, non essent disparata. Sic album, & calidum dicuntur disparata, quia non sunt opposita; album, & nigrum non dicuntur disparata, quia sunt opposita. Contra 2. Quod duæ relationes disparatæ non se comparantur in eodem supposito, non provenit ex ipsa ratione relationis; hæc enim ex se non est incommunicabilis nisi suo termino correlativo, cum quo solo habet oppositionem relativam; sed id aliunde provenire non potest, quam ex eo, quod non sunt in eodem subjecto, aut quia non habent idem esse, sed unaqueque habet suum esse limitatum, & divinum ab alia, ut patet in relationibus creatis disparatis, imò & in rebus absolutis disparatis, quæ licet inter se correlativè non opponantur ut relatio, & terminus, tamèn distinguuntur ut duo accidentia limitata, & habentia diversum esse; atqui in divinis relationes non habent esse limitatum, & diversum, cum identificentur in eadem essentia, nec habent diversum subjectum, cum non sint accidentia: ergo realiter distinguuntur non possunt, nisi ex oppositione relativæ. Confirmatur: Ratio disparati non est propria relationibus, sed convenit etiam absolutis; absoluta autè disparata, quæ ratione suæ limitationis realiter distinguuntur in creatis, ut misericordia, justitia, sapientia, &c. identificantur in ente infinito, quia non sunt relativè oppositæ: ergo similiter relationes disparatæ.

Contra 3. directè contra fundamentum Scotistarum. Cum dicunt Scotistæ, quod, si Spiritus S. non procederet a Filio, forent nihilominus personæ realiter distinctæ, quia forent duæ productiones totales realiter distinctæ; implicat autè eandem personam produci per duas productiones totales, petunt principium, & probant idem per idem: quia non sunt duæ productiones totales realiter distinctæ, nisi quatenus sunt duo termini, seu duæ personæ realiter distinctæ, productio enim personæ est persona inieri. Igitur probare esse duas personas realiter distinctas, quia sunt duæ productiones totales realiter distinctæ, est probare esse duas personas, quia sunt duæ personæ, quod est petere principium, & probare idem per idem. Incumbit ergo Scotistis probare, esse duas personas realiter distinctas aliunde, quam ex distinctione duplicis productionis totalis; quas nos negamus. Non probant autè, & ut puto, non probabunt. Interim dicimus nos, quod in hac hypothese generatio & spiratio forent una & eadem productio totalis formaliter eminentè generativa & spirativa, solum virtualiter & ratione distincta. Et, sicut in Patre intellectus & voluntas est eadem entitas virtualiter distincta, itè generatio & spiratio activa eadem entitas virtualiter distincta, ità Filius & Spiritus S. forent eadem persona, quæ quatenus procederet per intellectum, diceretur Filius, quatenus per voluntatem diceretur Spiritus S. sicut nunc una eadem persona, quatenus producit per intellectum, dicitur Pater, quatenus per voluntatem, spirator.

Instat P. Henno: Existentiæ, vel absentia focunditatis in Filio ad spirandum non potest reddere generationem & spirationem activas, quæ sunt in Patre, duas vel unam. Esto enim sit focundus Filius, vel infocundus ad spirandum, eundem est eadem vis generativa & spirativa in Patre, & consequenter eadem generatio & spiratio. R. pace doctissimi Viri, non esse hic questionem de generatione & spiratione activa in Patre. Agnoscunt enim omnes Theologi, non esse duas actiones in Patre realiter distinctas, quia non opponuntur inter se correlativè, alioquin constituerent distinctas personas. Sed questio est de generatione & spiratione passiva, quas dicimus tunc fore unam & eandem productionem totalem virtualiter tantum distinctam. Undè ad argumentum, N. Ant. Ex hoc enim, quod Filius non sit focundus ad spirandum Spiritum S. non opponitur illi relativè, & idè non est persona distincta ab illa, sed una & eadem persona sub diversa ratione genita & spirata, nec consequenter duplex, sed una & eadem totalis productio ad illam terminata. Et quando addit, quod remaneat eadem vis generativa & spirativa: ergo & eadem generatio & spiratio: D. Conseq. Remanet eadem generatio & spiratio entitativè; C. terminativè, N. Ex his solvuntur præcipua argumenta Scotistarum: ut autè satisfiat aliis.